

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

M.A. Level Medieval Latin Examination

13 April 1998

Translate ALL passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is NOT permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

1. Jonah and the moral of the ivy

Et egressus est Ionas de civitate, et sedit contra orientem civitatis; et fecit sibimet umbraculum ibi, et sedebat subter illud in umbra, donec videret quid accideret civitati. Et praeparavit Dominus Deus hederam, et ascendit super caput Ionae, ut esset umbra super caput eius, et protegeret eum (laboraverat enim); et laetatus est Ionas super hedera laetitia magna. Et paravit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum; et percussit hederam, et exaruit. Et cum ortus fuisset sol, praecepit Dominus vento calido et urenti; et percussit sol super caput Ionae, et aestuabat; et petivit animae suae ut moreretur, et dixit: Melius est mihi mori quam vivere. Et dixit Dominus ad Ionam: Putasne bene irasceris tu super hedera? Et dixit: Bene irascor ego usque ad mortem. Et dixit Dominus: Tu doles super hederam in qua non laborasti neque fecisti ut cresceret; quae sub una nocte nata est, et sub una nocte perit: et ego non parcam Ninive, civitati magnae?

2. Death of a giant-killer (John of Glastonbury)

Cum in quadam festiuitate natalis Domini apud Kayrlyon rex Arthurus Ider filium regis Nuth strenuissimum adolescentem insigniis militaribus decorasset, eum experiendi causa uersus Nortwalliam in monte de Areynes ubi tres gigantes malefactis famosos esse didicerat contra eosdem dimicaturum direxit. Ipse autem cum suis citis passibus secutus est. Idem Ider dictos gigantes fortiter aggressus mira cede trucidauit. Quibus peremptis, Arthurus adueniens dictum Ider nimio labore deficientem et sui omnino impotem in extasi collapsum inueniens eundem quasi defunctum cum suis lamentabatur. Rediens ergo ad sua cum ineffabili tristitia corpus quod exanime putabat ibidem reliquit donec uehiculum ad illud reportandum illuc destinasset. Sese etiam necis eius causam reputans quia tardius ad auxilium eius uenerat, cum demum Glastoniam adueniret ibidem quatuor viginti monachos pro anima eiusdem instituit, possessiones et territoria ad eorum sustentacionem, aurum, argentum, calices et alia ornamenta ecclesiastica largiens habundanter. Dedit namque Brentmareis et Pouldon et multa alia que postea Saxones pagani hanc terram occupantes abstulerunt.

3. The huntress Zenobia (Boccaccio)

Zenobia Palmirenorum fuit regina, tam eximiae virtutis foemina, priscis testantibus literis, ut caeteris gentilibus inclyta fama praeponenda sit. Haec, ante alia, genere fuit insignis. Nam a Ptolemais Aegyptiorum regibus claram uolunt originem habuisse, parentibus tamen memoriae non concessis. Dicunt autem hanc a pueritia sua, spretis omnino muliebribus officiis, cum iam corpusculum eduxisset in robur, syluas et nemora incoluisse plurimum, et accinctam pharetra, ceruis caprisque cursu atque sagittis fuisse infestam. Inde cum in acriores deuenisset vires, ursos amplecti ausam, pardos leonesque insequi, obuios expectare, capere et occidere, ac in praedam trahere. Et inpauidam, nunc hos, nunc illos saltus et praerupta montium discurrere, lustra perscrutari ferarum, et sub diuo somnos etiam per noctem capere. Hymbres, aestus, et frigora mira tolerantia superare, amores hominum et contubernia spernere adsuetam, et uirginitatem summopere colere. Quibus figata muliebri mollicie, adeo eam in uirile robur duratam aiunt, ut coetaneos iuuenes luctis, palestricisque ludis omnibus, uiribus superaret.

4. The carrot and the stick (Andrew of St. Victor)

Difficile quod durum, quod grave, quod asperum est observatur, si nullum custodiendi premium proponatur, aut negligenti nullus pene timor incutiatur. Quod bene intelligens Moyses, cum dura et gravia legis mandata, aspera et pene importabilia Dei iudicia, rudi populo et Egyptiaca mollitia et multis deliciis fere effeminato traditurus esset, beneficia Dei et gratiam multiplicem, tam in ipsos quam in patres eorum, replicat, et plura adhuc eis bona in futurum conferenda promittit, malorum etiam que sibi non obsequentibus Deus intulit recolit et que illaturus est non obsecuturis prescribit. Ut, igitur, multas et magnas divine gratie divitias enumerando, ad diligentiorelem legis, quam traditurus erat, observationem auditorum animos erigeret, seriatim ab ipso mundi exordio gratuita Dei beneficia, toti humano generi et precipue illi populo et eorum patribus collata, diligenter prosequitur.